

**A** sobrietatemq; mentis, a malitie nequitiq; fermento ad veritatem & sinceritatem. Regeneratis itaq; dicitur: Mensis hic vobis initium mensium: primus est vobis in mensibus anni. Derelinquit enim & deserit qui abluatur, intelligibilem illum pharaonem principem istius mundi, dicens: Abrenuncio tibi diabole, & angelis tuis, & operibus tuis, & imperiis tuis. Nec iam seruiet ei, vel terrenis huius corporis passionibus, vel deprauatae metis erroribus: qui demersa omni malitia vice pluri, bonis operibus dextera laeuq; munitus, inoffenso seculi huius freta studet transire vestigio. In libro quoq; qui inscribitur de Numeris, ait scriptura: Initium nationum Amalech, & semen eius peribit. Et utiq; no oim nationum primus est Amalech, sed quia per interpretationem Amalech rex accipitur iniquorum, iniquae autem gentes sunt: videne principem mundi huius accipere debeamus qui imperat nationibus voluntatem suam facientibus: cuius semen peribit. Semē autē eius impij & infideles sunt, quib? ait dñs: Vos ex patre diabolo estis. Est etiam initium mysticū, vt illud est: Ego sum primus & nouissimus, initium & finis. Et illud in Euangelio praecipue, quod interrogat? dominus quis esset, respondit: Initium, quod & loquor vobis. Qui vere & secundum diuinitatem est initium omnium, quia nemo ante ipsum: & finis, quia nemo vltra ipsum: & fecit ei euāgelij initij est vianū dñi in opera eius: vt per ipsum disceret hominum genus vias dñi sequi, & operari opera dei. In hoc ergo principio, id est in Christo, fecit deus caelum & terram: quia per ipsum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod factū est in ipso, vita erat: quia in ipso constant omnia. Et ipse est primogenitus omnis creaturā, siue quia ante omnē creaturam, siue quia sanctus, quia primogeniti sancti sunt, vt primogenitus Israel: non quia ante omnes, sed quia sanctior ceteris. Sanctus autem dominus supra omnē creaturam & secundum corporis susceptionem, quia solus sine peccato, solus sine vanitate. Omnis autē creatura subiecta vanitati est. Postulamus etiam intelligere, In principio fecit deus caelum & terram, id est ante tempus: sicut initium viae, nodum viae: & initium domus, nondi domus. Deniq; alij dixerunt ἐν κεφαλῇ αἰῶνος, quasi in capite, quo significatur in breui & in exiguo momento summa operationis impleta. Sunt ergo & qui principium non pro tempore accipiāt, sed ante tempus, ἐν κεφαλῇ αἰῶνος, vel caput: vt dicamus latine quasi summā operis, quia rerum visibiliū summa caelum & terra est, quae non solum ad mundi huius spectare videtur ornatum, sed etiam ad iudicium rerum inuisibiliū, & quoddam argumentum eorum quae non videntur, vt est illud Propheticum: Caeli enarrant gloriam dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentū. Quod fecutus **C** Apostolus alijs verbis in eadem conclusit sentētia, dicens: Quia inuisibilia eius per ea quae facta sunt intelliguntur. Autorem enim angelorum & dominationū & potestatum facile intelligimus eum qui momento imperij sui hanc tantam pulchritudinē mundi ex nihilo fecit esse quae non erat, & non de extantibus aut reb? aut causis donauit habere substantiam.

Quod hic mundus diuinā sit specimen operationis, ac diuinā maiestatis insigne. Quodq; filius imago sit dei, & splendor paternae gloriae. Et quod per ipsum & in ipsum creata sint omnia. **Caput V.**



**S**T ergo hic mundus diuinā specimen operationis: quia dum opus videtur, praefertur operator. Namq; vt istarum artium aliae sunt aeuosae, quae sunt in corporis motu, aut sono: non cessant motus aut sonus, nihil suppositum nec remansit spectantib? vel audiētib? aliae theoreticae, quae vigore mentis exerceant: aliae huiusmodi vt cessante

quoq; operationis officio, operis mun? appareat, vt aedi D ficatio atq; textura, quae etiam tacite artifice peritiam eius ostendat, vt operatori operis sui testimonium suffragetur: Similiter etiam hic mundus diuinā maiestatis insigne est, vt per ipsum dei sapientia manifestetur. Quem vidēs Propheta, simul & ad inuisibilia oculos metis attollens, ait: Quae magnificata sunt opera tua domine, omnia in sapientia fecisti. Nec ociose utiq; factum legimus: quia gētes pleriq; qui coaeternum deo mundum volunt esse, quasi adumbrationē virtutis diuinā asserunt etiā sua sponte subsistere: & quāuis causam eius deum esse fateantur, causam tamen factā volunt non ex voluntate & dispositione sua, sed ita vt causa vmbrae corpus est. Adhaeret enim vmbra corpori, & fulgor lumini, naturali magis societate, q̄ voluntate arbitra. Pulchre ergo ait Moyses quia fecit deus caelum & terram. Non dixit quia subesse fecit. Non dixit quia causam mundo vt esset praebuit: sed fecit quasi bonus quod foret vtile, quasi sapiens quod optimū iudicabat, quasi omnipotēs quod amplissimū prauidēbat. Quomodo autem quasi vmbra esse poterat, vbi corpus non erat, cum in corporei dei corporea adumbratio esse non possit? Quomodo etiā in corporei luminis splendor possit esse corporeus? Sed si quāris splendorē dei, filius est imago dei inuisibilis. Qualis ergo de? est, talis imago. Inuisibilis deus, etiā imago inuisibilis. Est enim splendor gloriae paternae, atq; eius imago substantia. In principio, inquit, fecit deus caelum & terrā. Et factus est ergo mundus: & cepit esse, qui nō erat. Verbum autem dei in principio erat, & erat semper. Sed etiā angeli dominationes & potestates essē aliquādo coeperunt, erāt tamen iam quādo hic mundus est factus. Omnia namq; creata & cōdita sunt, visibilia & inuisibilia, siue sedes, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Omnia, inquit, per ipsum facta sunt, & in ipsū creata sunt. Quid est, in ipsum creata? Quia ipse est haeres patris, eo quod a patre in ipsum transierit haereditas, sicut pater dicit: Posce a me, & dabo tibi gentes haereditatem **Psal. 28** tuam. Quae tamen haereditas a patre transit in filium, & in patrem reuertitur a filio. Egregie itaq; apostolus & hoc loco filium dixit auctore omnium, & maiestatis suae continentem oia. Et ad Romanos de patre ait: Quoniam ex ipso, & per ipsū, & in ipso sunt oia. Ex ipso principium & origo substantiae vniuersorum, id est ex voluntate eius & potestate. Omnia enim ex eius voluntate coeperūt, quia vnus deus pater, ex quo oia. Etenim tāquam ex suo fecit: quia vnde voluit fecit. Per ipsum cōtinuatio, finis ipsū. Ex ipso ergo materia, per ipsum operatio quae ligauit atq; cōstrinxit vniuersa. In ipsum, **F** quia & quādiu vult omnia eius virtute manent atq; consistunt, & finis eorum in dei voluntatem recurrit, & eius arbitrio resoluntur.

Quod in principio temporis caeli & terrā deum fecisse, ad presentē sufficiat assertionē, & cur auctor prolixiorē vitauerit collectionē. Quod de qualitate & substantia caeli, terrae quoq; vel qualitate vel positione, satis sit ad scientiā quod scripturarum diuinā series cōprehēdit, eo quod nihil profit ad spem futurae vite discutere se enumerare ea quae in disputationib? suis philosophi se mutuo refellentes texerunt. **Caput VI.**



**I**N principio itaq; temporis caelum & terram deus fecit. Tempus enim ab hoc mūdo, nō ante mundum. Dies autem temporis portio est, nō principij. Et quāquā lectionis serie possumus astruere qd primo die die fecerit dñs & noctem, quae sunt vices temporum, & secundum die firmamentum fecerit quod disceruit aquam quae sub celo est, & aquam quae super caelum: tamen satis est ad praesentem assertionem, quod in principio caelum fecerit, **E iiii**